

DE VIRTUTUM MORALIUM INFUSARUM
EXISTENTIA
CONTROVERSIA RECENTIOR

SUMMARIUM. - Occasione studiorum recentiorum circa virtutes morales infusas, queritur via ad controversiam perantiquam tandem solvendam. Notanda est virtutum illarum indoles specialis, qua nec ad virtutes perfecte acquisitas nec ad inchoationes virtutum aequiparari possunt. His prae oculis habitis plures difficultates contra virtutes infusas motae vim suam amittunt et harum existentia, qua deificatio totius hominis illustratur, facilis affirmatur. S. Thomam locum ordinatum in toto suo systemate eis tribuere indubium est.

Quicumque theologiae morali vel dogmaticae studet, controversiam cognoscit, inde a medio aevo agitatam de existentia virtutum moralium infusarum. Dum alii S. Augustino duce eas admittunt, imo argumentis metaphysicis ad earum necessitatem concludunt, alii e contra Henricum Gandavensem secuti eas tamquam superfluas respnuunt.

Iam a pluribus decenniis monachus benedictinus O. Lottin, eximius theologiae mediaevalis studiosus, sententiam negantem strenue defendit, uti omnes norunt,¹ dum in dissertatione sua ad lauream apud facultatem theologicam Friburgensem Helveticorum G. Bullet sententiam affirmativam eamque communius acceptatam late exposuit atque sustinuit.² Cui tandem O. Lottin breviter respondit iterumque propriam opinionem stabilivit.³

Hoc brevi articulo controversiam illam saecularem dirimere nolumus. Intentio nostra his studiis recentioribus determinatur, quae licet opinionem sibi mutuo oppositam teneant, non pauca in idem consentientia proferunt. Nostro iudicio concentus in principiis quibusdam essentialibus viam indicat ad harmoniam quaerendam in ipsis conclusionibus, verbotenus saltem contradictoriis. Aliquas observationes hinc inde addere liceat unde investigatio ulterior progredi queat ad quaestionem nostram plenius dilucidandam.

¹ Duo opera recentiora ab eo conscripta praesertim prae oculis habemus: *Principes de Morale*, t. II: *Compléments de doctrine et d'histoire*, Louvain, 1947; illud indicamus littera P. *Morale fondamentale*, Paris-Tournai (1954), (Bibliothèque de Théologie, Série II: Théologie Morale, Vol. I) = M.

² *Vertus morales infuses et vertus morales acquises selon saint Thomas d'Aquin*, Fribourg (Suisse), 1958 = V.

³ In libro quo studia edita simul et inedita in unum collegit: *Etudes de Morale. Histoire et Doctrine*, Gembloux, 1961 = E. Responsum datum Gabrieli Bullet ineditum fuit; habetur p. 131-149.

Ne autem statim ab initio ambiguitas oriatur animadvertamus oportet virtutes morales naturaliter acquisitas nullo modo supprimi eo quod praeter eas etiam infusae admittuntur. Modus tamen loquendi ultimi propugnatoris virtutum infusarum ipsos doctos in errorem ducere potest. G. Bullet enim asserit S. Thomam res duplici sub respectu, multoties sibi invicem intermixto, considerare: modo nempe philosophico, seu « in abstracto » et theologicamente seu « in concreto »; dum primus se ad rerum essentiam refert, ultimus earum existentiam tangit, res scilicet prout de facto ad finem supernaturalem destinantur.⁴ Fatendum est formulas adhibitas lectori ideam non rectam facile suggerere, acsi S. Thomas fundamentum naturale ordinis supernaturalis negligat. Hoc conceptu motus O. Lottin, postquam sensum quemdam vocis « abstracti » admisit, statim alium proponit, contra quem iure merito obiectionem agitat: nullo modo teneri potest virtutes morales acquisitas nullam habere realitatem.⁵ Quod non est demonstrandum cum ipse Bullet concors omnino inveniatur;⁶ sicut nec demonstrandum est virtutes morales naturaliter acquisitas ab infusis separatas proprium retinere valorem moralem. Si enim hae solae « virtutes verae » a G. Bullet vocantur, non ideo negatur valor virtutum naturalium; affirmatur tantum hunc valorem manere imperfectum cum hominem non ordinat ad finem supernaturalem. « Solae virtutes infusae sunt perfectae et simpliciter dicendae virtutes » ait S. Thomas.⁷ Haec doctrina tum a G. Bullet tum ab O. Lottin admittitur. Quodsi ille ipsos terminos a S. Thoma adhibitos retinuisse, omnem aequivocationem vitasset.⁸

⁴ V p. 58, 68 nota 3; p. 69; cf. E p. 131-132.

⁵ E p. 132: Aussi peut-on dire que tous ses (S. Thomae) aperçus de philosophie morale qu'on lit dans ces écrits sont « extraits », ou, si l'on veut « abstraits » de leur contexte théologique. Est-ce à dire que, parlant des vertus morales acquises, saint Thomas n'entende parler que des vertus abstraites, n'ayant aucune réalité? Personne, sans doute, n'a songé à lui imputer pareillement l'insanité.

⁶ V p. 145-148, 165, 177, 179.

⁷ I-II, q. 65, 2; citatur E p. 134.

⁸ V p. 69, 136: Bien *qu'en soi* les vertus acquises naturelles soient de vraies vertus, dans le pécheur elles ne réalisent qu'imparfaitement la notion de vertu, parce qu'elles ne peuvent rendre l'homme totalement bon, détourné qu'il est de sa fin ultime; par là, nous entendons « de sa fin ultime surnaturelle » et, par le fait même, de sa fin ultime naturelle. Cf. E p. 134: Dès qu'une vertu conduit à la fin dernière... elle est vraie vertu vera virtus — le terme *secundum quid* a disparu — quoiqu'imparfaite si elle n'est pas référée à la fin dernière surnaturelle. Bene tamen prae oculis teneat O. Lottin *veram* virtutem non esse identificandam cum *perfecta* virtute: virtus acquisita, a caritate separata, est vera virtus, non autem perfecta. Nil mirum quod in IIa IIae, q. 23, a. 7 « le terme secundum quid a disparu » dum in IIa IIae, q. 65, a. 2 adhibetur. Virtus enim non sub eodem respectu consideratur. Cf. A. VAN KOL, S. J., *Christus' plaats in S. Thomas' moraalsysteem*, Roermond-Maastricht, 1947, p. 82-83. Hoc exemplo luce clarior apparet opportunitas utendi terminis secundum sensum a S. Thoma accurate definitum. Eadem ambiguitate nititur secunda obiectio ab O. Lottin contra G. Bullet proposita,

Affirmatio qua O. Lottin suam obiectionem concludit incunctanter a G. Bullet subscribi potest:

« Quand saint Thomas parle en philosophe, loin de se repaître d'abstractions, il envisage la nature dans sa réalité concrète, en tant que perfectionnée par des principes d'action naturels qui créent l'honnêteté morale naturelle, laquelle existe chez le croyant comme chez l'incroyant. Et quand il parle en théologien, il envisage cette même nature humaine dans sa réalité en tant que perfectionnée par des principes d'action surnaturels, sources de cette honnêteté morale surnaturelle et de ce mérite surnaturel, qui ne peuvent exister que chez le croyant. Cette dernière perfectionne l'honnêteté naturelle, elle ne la détruit pas ».⁹

Possumus proinde, etiam secundum O. Lottin, admittere S. Thomam res sub dupli ratione considerare; solummodo: « Le tout est de bien s'entendre sur les termes ».¹⁰ Hac aequivocatione remota propositum nostrum tandem aggredimur.

I - PRINCIPIA UTRIQUE OPINIONI COMMUNIA

Realitatem atque valorem moralium virtutum naturaliter acquisitarum admittentes argumenta perpendamus oportet quibus infusarum existentia vel defenditur vel reicitur.

Argumenti maior quaedam ab utroque contendente inconcussa statuitur et ab O. Lottin lucide formulatur: actus virtutum oportet sint supernaturales ut nos in finem supernaturalem conducere possint.¹¹ Supernaturalitas intelligitur ab auctore formalis, quae nempe ab obiecto formali supernaturali determinatur; actus enim ab obiecto speciem accipiunt.¹² Si autem actus est formaliter supernaturalis, sequitur causam eius efficientem etiam necessario esse supernaturalem; quod autem causa sit *habitus permanens* suadetur ex providentia divina, quippe quae mediantibus causis secundis agit.

E p. 135: « le tout est de savoir si pour avoir une vraie vertu il faille la rapporter à une fin surnaturelle ». Eadem danda est responsio: manet vera virtus sed non perfecta. « Vera » indicat habitum difficile mobilem, dum « perfecta » dicit relationem ad finem ultimum supernaturalem.

⁹ E p. 134-135.

¹⁰ E p. 134.

¹¹ M p. 410.

¹² M p. 410: Il importe avant tout que l'acte, qui matériellement relève d'une vertu, telle la vertu de tempérance, soit formellement surnaturel: c'est en effet cet objet formel qui va spécifier l'acte, le définir en sa nature même. Auctor non consentit confratri suo P. DE VOOGHT, qui differentiam specificam inter actus morales naturales et supernaturales atque inter eorum obiecta formalia negat, in *Y a-t-il des vertus morales infuses?* in *Ephemerides Theologicae Lovanienses* 10 (1933), p. 237-238; cf. P p. 222.

Haec eadem maior a G. Bullet aliis verbis proponitur: necessaria datur proportio inter effectum et principium¹³ atque inter principia et finem:¹⁴ cum homo in finem supernaturalem ordinetur actus in eum conducentes a principiis supernaturalibus dependent oportet.

Maiori ab utraque parte admissae minorem liceat apponere, quae et ipsa communi consensu admittitur, sitque sequens: ad talem proportionem necessariae sunt imprimis virtutes theologicae. Virtutes dicimus in plurali; nam uti recte animadvertisit O. Lottin non sola caritas sed primo loco fides est inspicienda.¹⁵ Haec autem ut obiectum habet non tantum veritates theoreticas quae dicuntur, sed etiam practicas, normas scil. agendi. Aliae autem possunt esse normae agendi quae sola ratione dictantur, aliae quae fide proponuntur;¹⁶ sub lumine autem fidei ipsae normae naturales altiorem induunt significationem et actus supernaturales specificare possunt.

Dum fides munere causae formalis actuum moralium fungitur, caritas eorum causa efficiens dicitur. Causalitas enim caritatis ita saltem est intelligenda quod sub eius influxu omnes actus virtutum in finem supernaturalem dirigantur. Non est nobis ulterius examinandum quomodo caritas forma virtutum dici queat; hoc unum sit inconcussum apud omnes: ex intentione finis omnes actus virtutum ordinationem in finem recipient.¹⁷

¹³ V p. 101.

¹⁴ V p. 104. Auctor putat ad supernaturalitatem actuum per se sufficere ordinationem *extrinsecam* actus alicuius, qui ex *objecto suo formali remanet* naturalis; ordinatio extrinseca ad finem supernaturalem habetur sub influxu caritatis; cf. V p. 153, 158. Hoc in casu actus non elicitor a virtute moralis *infusa* sed ab acquisita tantum. De hac opinione cf. infra. Propterea G. Bullet defendit solam necessitatem virtutis moralis infusae relate ad actus *ex objecto suo formali* supernaturales. O. Lottin e contra pro *omni* actu ad finem supernaturalem ordinato requirit supernaturalitatem *intrinsecam*.

Relate ad probationem existentiae virtutis moralis infusae immerito G. Bullent assertit vim argumenti S. Thomae, iuxta O. Lottin, inveniri in parallelismo qui inter ordinem naturalem et supernaturalem habetur. Quam interpretationem iuste recusat O. Lottin: E p. 142 nota 3. Negare tamen nequit se aliquando huic parallelismo ita insistere ut erroneae interpretationi facile ansam praebeat: cf. P p. 219, 225; M p. 413, 468.

¹⁵ M p. 412 nota 1.

¹⁶ Concedit O. Lottin ipsum dictamen practicum quo electio fit, a S. Thoma non considerari tamquam ad fidem pertinens: M p. 385 nota 2. Ipse autem munus prudentiae infusae ad fidem reducit. Hunc transitum vero a norma agendi universalis, fide cognita, ad normam actum humanum immediate informantem cl. auctor diligentius mensurare debuisse. Etenim ex eo quod fides praestat regulam agendi, non statim sequitur eam praestare regulam *proximam*; hanc esse fide illustrandam indubium est; utrum autem ab ipsa fide immediate habeatur non liquet.

¹⁷ M p. 400; V p. 156.

II - CONTRARIUM PRINCIPIUM UTRIUSQUE OPINIONIS

Minori praepositae altera, eaque diversa secundum diversam sententiam additur. Dum enim qui existentiam moralium infusarum negant arguunt virtutes theologicas ad acquirendam supernaturalitatem habitualem omnium actuum moralium sufficere, adversarii hanc sufficientiam pernegant. Fatendum est ultimum defensorem, G. Bullet, non modo evidenti rationes suas proposuisse nec satis argumentis negantium respondisse. Non enim obiectinibus satisfecit probando proportionem inter finem et principium et affirmando talem proportionem in appetitu sensitivo nonnisi virtute infusa temperantiae et fortitudinis perfici.¹⁸ Hic non sola affirmatio sed accurata exspectatur probatio. Iam enim O. Lottin defensores de petitione principii accusaverat :

« Serait-il indiscret de répondre que, si l'on met en avant ce principe pour réfuter les adversaires des vertus morales infuses, on commet tout simplement une pétition de principe? Car enfin de quoi s'agit-il? D'expliquer la manière dont les actes des vertus morales, telle la tempérance, pour reprendre l'exemple de saint Thomas, sont surnaturels. Nous avons cru que ce caractère surnaturel est suffisamment garanti par l'influence de la foi et de la charité, sans qu'il faille recourir à des vertus morales infuses. La logique demande qu'on réfute ces arguments, mais qu'on ne prétende pas de le faire en s'appuyant sur l'axiome même qu'il faudrait prouver ».¹⁹

Nil mirum proinde quod librum G. Bullet examini subiendo non necessarium iudicat iteratam dare refutationem directam argumentorum, sed aliquas animadversiones marginem potius tangentes proferre ut tandem thesim propriam noviter firmiterque affirmet :

« Par l'exercice conjugué des vertus théologales s'acquièrent les vertus surnaturelles sans qu'il soit nécessaire de recourir à des vertus infuses ».²⁰

Ad huius propositionis intellectionem notare oportet auctorem non negare supernaturalitatem actus temperantiae, imo nec negare supernaturalitatem ipsius virtutis a qua actus elicetur, negare autem eius infusionem immediatam a Deo; a. v.: principia permanentia proxima actuum moralium supernaturalium acquiruntur, sed sub influxu virtutum theologicarum, earumque certo infusarum :

¹⁸ V p. 101-107.

¹⁹ M p. 412.

²⁰ E p. 149.

« Pour éviter toute équivoque, je la résume comme suit: les vertus morales dites infuses ne sont pas un vain mot; elles sont des réalités, des habitus, des vertus, non toutefois des vertus qui nous seraient *infuses* au baptême, mais des vertus acquises par l'exercice des vertus théologales ».²¹

Ideoque vi principii ab omnibus admissi, entia nempe non esse multiplicanda sine necessitate, *infusio* immediata virtutum moralium negatur²².

Liceat aliis verbis, paucis quidem, difficultatem ab O. Lottin motam exponere ut evidentiori quo possit modo eius gravitas appareat. Homo momento quo iustificatur virtutes morales naturelles acquisitas habet vel eis est orbatus. Quodsi primum evenit appetitus sensitivus iam est habitualiter rationi et voluntati subiectus atque exinde paratus qui regula superiori fidei informetur et caritate in finem supernaturalem dirigatur. Si autem secundum, ex eo quod finis virtutibus theologicis et cognoscitur et intenditur, etiam media apta ad finem quaeruntur et appetuntur: ratio et voluntas supernaturaliter elevatae ipsum appetitum sensitivum ad actus virtutis movent; ex repetitione autem actuum habitualis subiectio et docilitas causatur, seu, quod idem est, virtus moralis acquiritur. Difficultas contra virtutes infusas vigorem accipit novum si virtutes infusae ita explicantur quasi solam potentiam supernaturaliter agendi, non inclinationem in actum conferant. Cui explicationi, a qua alienus est G. Bullet, statim occurrit obiectio, tales virtutes morales esse tum superfluas, cum potentia supernaturaliter agendi virtutibus theologicis praestetur, tum inutiles, utpote necessario acquisitis perficiendas.

III - PRIMUM COMPOSITIONIS TENTAMEN

Primam suppositionem supra allatam inspiciamus, qua virtutes naturaliter acquisitae iam praesentes aestimantur momento iustificationis. Eas in finem supernaturalem adveniente caritate dirigi indubium affirmat O. Lottin. Influxus autem caritatis non intelligitur mere externus, cum eius intentio totum processum psychologicum actus humani penetret, imo ipsos *habitus* acquisitos permanenter afficiat.²³ Quaerere autem liceat quibusnam

²¹ E p. 140 nota 3. Sublineat ipse auctor.

²² P p. 225; M p. 412, 414: L'existence des vertus morales infuses n'a pas été, jusqu'ici, définie par le magistère ecclésiastique; elle ne s'impose pas davantage comme une nécessité à la réflexion du théologien. Peut-on dès lors considérer ces vertus comme un rouage essentiel ou même utile dans l'organisation de notre vie surnaturelle?

²³ P p. 222: Il faut le redire, de même que l'*intentio* pénètre de son influence tout le processus psychologique de l'acte humain, de même la charité pénètre de surnaturel tous les actes qu'elle oriente vers Dieu. Quand on en-

categoriis illa penetratio interna, quae aliquam elevationem comportare videtur, exprimi debeat. Nonne auctor implicite ipsam virtutem infusam admittit, prout ordinario a theologis defenditur? Extendendo penetrationem virtutum theologicarum « magis quam auctores facere solent »,²⁴ nonne tandem velato modo ad positionem communem reddit? Notandum est enim elevationem virtutum acquisitarum non esse ipsam caritatem sed huius *effectum*, licet ab ea inseparabilem. Quid autem aliud est virtus moralis quam potentiarum elevatio, a caritate dependens, ut actus caritati proportionatos elicere valeant?²⁵

Conclusionem nostram forte negabit G. Bullet qui de ordinatione solummodo *extrinseca* actus virtutis acquisitae loquitur,²⁶ distinctionem statuens inter influxum caritatis prout per solam ordinationem vel etiam per imperium exercetur. Dum ordinatio actus relinquit in eorum specie naturali, ex obiecto formalis *proximo* desumpta, et eos tantum ab extrinseco in finem supernaturalem dirigit, imperium actus vere causat, intrinsece afficit et *essentialiter*, non modaliter tantum, supernaturales reddit.²⁷ Non videtur proinde illam necessariam « penetrationem permanentem » caritatis in virtutes acquisitas admittere quam O. Lottin affirmavit. Positio tamen eius non satis probata videtur.²⁸ De

visage les vertus morales acquises ainsi pénétrées habituellement et comme imbibées d'intention surnaturelle par la charité, on ne voit plus la nécessité des vertus morales infuses.

²⁴ P p. 225.

²⁵ Forsitan obiciet O. Lottin penetrationem caritatis non in ipso momento eius infusionis haberi, sed gradatim, actibus sub eius imperio repetitis, acquiri: etiamsi quis habeat virtutes naturales non statim appetitus sensitivus redditur docilis ad sequendam normam agendi altiore. Hoc in casu secunda occurrit suppositio infra consideranda.

²⁶ V p. 161 nota 1: Il ne nous semble pas nécessaire, métaphysiquement parlant, que l'influence virtuelle de la charité, surnaturalisant extrinsèquement la vertu acquise, se fasse par l'intermédiaire de la vertu morale infuse correspondante.

²⁷ V p. 158 sqq.

²⁸ O. Lottin et ipse admittit distinctionem inter ordinationem et imperium sed eam uti minoris momenti aestimat; M p. 516-517, approbat iudicium Th. Deman: « La charité n'a qu'une manière d'impérer: effectivement, et c'est-à-dire en ordonnant à la fin dernière; et quand elle ordonne à la fin dernière, elle meut effectivement » ex *Bulletin thomiste* 3, p. (83); citat, nota 1, S. Thomam: Per actum caritatis omnes actus aliarum virtutum *ordinantur* in hunc finem (fruitionem divini boni) secundum quod aliae virtutes *imperantur* a caritate; I II, q. 114, a. 4.

G. Bullet tenet regulam rationis a regula fidei in ipso iustificato separari posse (V p. 153). Haec opinio tamen experientia non probatur, nam licet iustificatus ad sola motiva naturalia explicite attendat, semper attentio supernaturalis supponitur. Minus adhuc probatur dicendo: « c'eut été le cas si l'homme n'avait pas été élevé à l'ordre surnaturel » (V p. 153). Argumentum desumptum ex necessario vel non necessario influxu caritatis ad aliquem actum ponendum (V p. 156) nimis abstractum videtur. Non enim agimus de caritate ut sic, sed de caritate *de facto hunc hominem informante* et de eius influxu reali. Qui influxus videtur esse non tantum ab extrinseco ordinans

relatione inter virtutem infusam et acquisitam agens, potius de activitate *simultanea* utriusque sermonem facit.²⁹ A. Van Kol accuratius mentem S. Thomae reddere videtur, ubi affirmat actus virtutis acquisitae in homine iustificato *necessario* esse partem actus virtuosi supernaturalis, proindeque ipsam virtutem naturalē *necessario* assumi a virtute morali supernaturali.³⁰ Quodsi haec admittuntur iam minor apparet discrepantia inter defensores virtutis moralis infusae et negatores eiusdem, saltem in casu quem nunc consideravimus, praesentiam scil. ipsarum virtutum naturalium supponentes.

Hoc unum addere liceat: has virtutes a caritate non tantum ordinationem et penetrationem accipere sed et maiorem stabilitatem. Unde, etsi virtutes naturales, inquantum tales, *habitus* veri nominis sint dicendi, caritate privatae facilius ad naturam dispositionis accedunt. Ex eo enim quod voluntas non amplius recte in finem suum ultimum ordinatur, facilius deficit quoad media, circa quae virtutes morales versantur. Non tamen amissa caritate statim harum natura corrumpitur, ita ut facile mobiles fiant. Haec recte a G. Bullet dicuntur³¹ sed ampliori explicatione indigerent ut obiectio ab O. Lottin mota praeveniri possit, quippe qui putat auctorem omnem rationem verae virtutis negare in iniusto.³² Hac in materia p̄e oculis teneatur controversia circa

sed etiam imperans seu *de facto* causans actum; cf. textum S. Thomae modo citatum. Ceteroquin cl. auctor concedit hominem iustificatum, qui *voluntarie* propter sola motiva naturalia agit, supernaturalia excludens, ordinario peccare, cum dicat: « Cependant il semble bien, par les exemples apportés que, dans certains cas du moins, cette inattention puisse être non coupable » (V p. 153-154; sublineatio est nostra; in nota se refert ad O. Lottin M p. 499-505, qui tamen de alio themate agit). Nonne melius dicitur in omni iustificato qui elicit actum moraliter bonum, adesse attentionem saltem implicitam ad regulam supernaturalē, simul cum intentione supernaturali finis ultimi. Itaque res ad simpliciorem formam reducatur, eo magis quod expositio auctoris, uti ipse fatetur, non explicite apud S. Thomam invenitur (V p. 152).

²⁹ V p. 162.

³⁰ *Christus' plaats...*, p. 77: De zedelijke deugdhandeling van den mensch in staat van genade is altijd bovennatuurlijk-zedelijke deugdhandeling, bestaande uit twee elementen: actueering van de ingestorte deugden en actueering van de verworven deugd als medewerking met de actuele deugdgenade. De mensch in staat van genade beoefent dus niet naast en onafhankelijk van elkander de natuurlijke en de bovennatuurlijke zedelijke deugd. Maar zijn natuurlijke zedelijke deugdhandeling is niets anders dan een element van de bovennatuurlijke zedelijke deugdhandeling. *Agere sequitur esse*: de eenheid van natuurlijke en bovennatuurlijke deugd in het handelen manifesteert een eenheid in het zijn. Derhalve kan de natuurlijke zedelijke deugd van den mensch in staat van genade niets anders zijn dan een element in de bovennatuurlijke zedelijke deugd. G. P. KLUBERTANZ, *Une théorie sur les vertus morales « naturelles » et « surnaturelles »*, in *Revue thomiste* 59 (1959), p. 565-578, loquitur in sensu G. Bullet.

³¹ V p. 136.

³² E p. 135-140.

naturam virtutis acquisitae in peccatore³³ ut accurate ponderentur verba et omnis erronea interpretatio praecaveatur.

Neque conclusionem magni momenti praetereamus, quae ex doctrina S. Thomae eruitur. Si enim verum est virtutes acquisitas a caritate separatas paulatim deperdi, nonne e contra homo qui, etsi forte ab Ecclesia separatus, virtutes modo stabili colit, iudicandus est caritatem possidere, qua tandem illa stabilitas explicetur?

IV - ALTERUM CONCILIATIONIS TENTAMEN

Ad secundum casum propositum attentionem nostram moveamus. Quid virtutes infusae afficiunt in homine qui acquisitis caret? Explicationem Odonis Lottin iam legimus: id quod dicuntur praestare, efficitur partim virtutibus theologicis, partim virtutibus sub influxu theologicarum acquisitis, vel potius acquirendis. Hancque esse veram ipsius S. Thomae mentem non dubitat.³⁴ Etsi enim Doctor Angelicus existentiam virtutum infusarum explicitis verbis affirmet, negatio earum melius concordat cum principiis eius altioribus, ad quae semper est recurrendum ut synthesis doctrinalis S. Thomae perspiciatur.³⁵ Distinctio est enim facienda inter propositiones quae necessitate metaphysica e principiis deducuntur vel cum revelatis necessario connectuntur et alias quae a traditione tunc vigente assumuntur et quae argumentis minus validis fulciuntur. Fidelitas Doctori praestanda, utique urgetur in necessariis, non autem eadem requiritur si constat quaedam propter meram reverentiam erga traditionem accipi quin firmo nitantur fundamento. Distinctionem hanc a cl. auctore positam, nemo est qui neget, et vix quidam nunc invenitur qui omnia quae a S. Thoma docentur, ad pedem litterae admittat. Utrum autem in nostro casu existentia virtutum infusarum iuxta ipsius Doctoris mentem sit reicienda, prout aliquibus textibus probare conatur auctor,³⁶ inferius dicemus.

³³ Quoad controversiam medio aeo habitam cf. E p. 69-129; bibliographiam relate ad controversiam inter theologos recentiores cf. A. VAN KOL, *Christus' plaats...*, p. 81 nota 1.

³⁴ E p. 149: Cette solution n'est que l'expression de ce que nous pensons être la pensée de saint Thomas.

³⁵ Thesim hanc articulo notabili evolvit in *Comment interpréter et utiliser saint Thomas d'Aquin*, in *Ephemerides theologicae Lovanienses* 36 (1960), p. 57-76; reassumitur in E p. 227-240.

³⁶ E p. 140-148. Interpretationem Odonis Lottin his verbis aptis reddit A. MRUK: « Posuit (S. Thomas) fundamentum affirmationi non esse necessarium recurrere ad earum (virtutum moralium) immediatam infusionem a Deo, cum elevatio virtutum moralium ad ordinem supernaturalem per dynamismum virtutum theologicarum sufficenter explicetur »; cf. *Gregorianum* 44 (1963), p. 137.

Uterque in hac causa contendens parallelismum inter ordinem naturalem et supernaturalem considerat ut argumenta sua construere possit; imprimis proinde naturalem inspiciamus, deinde supernaturalem. Si enim quaedam concordia quoad primum inveniri potest, iam maior datur spes consensus quoad secundum.

A) Virtutes morales in ordine naturali

Ab omnibus admittitur synderesim, quae bonum morale esse faciendum et malum vitandum dictat, ita esse homini naturalem ut iam in primis iudiciis rationis practicae contineatur. Ad haec iudicia sequitur motus naturalis voluntatis in bonum morale, nec ulla virtus specialis requiritur;³⁷ habet ergo voluntas, ait O. Lottin « praedispositiones naturales in bonum morale, quae ab antiquis semina virtutum vocantur »³⁸. Gravior autem oritur quaestio utrum in sola voluntate vel etiam in appetitu sensitivo detur quaedam inclinatio naturalis in bonum, rationi conforme. Cui quaestioni paulum est insistendum, cum hic forse ultima controversiae radix lateat.

Pluries G. Bullet affirmat inclinationem naturalem in bonum, in appetitu sensitivo existentem, et ad eam ipsum terminum « seminaria virtutum » extendit; exinde de ordine supernaturali loquens virtutes morales infusas cum illis seminariis comparat.³⁹

³⁷ Oritur quaestio utrum in ordine naturali requirantur virtutes quibus homo actus suos facile in Deum dirigat. Cui quaestioni affirmative responde O. Lottin et virtuti acquisitae religionis hunc effectum tribuit: religio potentiam naturalem in Deum tendendi supponit et facilitatem superaddit; cf. M p. 357-362; 359: Il reste donc vrai que, dans l'ordre de l'honnêteté morale naturelle, il y a place pour une vertu morale — la vertu de religion — se rapportant à la fin dernière. Virtutes quas « finales » vocat, admittit A. VAN KOL, *Christus' plaats...*, p. 71, 85, qui virtutem intellectivam sapientiae, amorem et fiduciam naturales in Deum memorat. O. Lottin notat diversam acceptationem vocis virtutis moralis prout in philosophia vel in theologia occurrit: M p. 370-371. Dum philosophus omnem virtutem quae mores regulat moralem appellat eamque a virtute mere intellectiva distinguit, theologus obiectum virtutis moralis ad media in finem restringit, ideoque eas a theologicis distinguit quae circa ipsum finem versantur. Unde virtus religionis non eodem sensu intelligitur a philosopho ac a theologo. — Etiam G. Bullet in admissionem virtutum naturalium, ipsum finem respicientium, inclinatur: V p. 91 nota 5. Cf. tamen M. SÁNCHEZ, *Dónde situar el tratado de la virtud de la religión*, in *Angelicum* 36 (1959), p. 287-320.

³⁸ M p. 345; cf. p. 406-407. Putat cl. auctor semina virtutum in sola voluntate inveniri et ab « intellectu principiorum » distingui. Respondens tamen operi G. Bullet et de seminariis virtutum loquens, inclinationem naturalem tum intellectus tum voluntatis in bonum intelligit: E p. 142: La nature humaine est donc douée d'une inclination foncière de la volonté et de la raison vers la fin qui convient à cette nature. Et c'est cette inclination qui est la cause, la semence de toutes les vertus propres à la nature humaine; de là le nom de *seminaria virtutum*. — Nisi dicatur « seminaria » (E) a « seminibus » (M) differre, quaedam evolutio in significacione terminorum apud O. Lottin non videtur deneganda. Quaenam sit mens S. Thomae mox dicemus.

³⁹ V p. 109.

O. Lottin e contra seminaria virtutum ad partem hominis rationalem limitans, virtutes theologicas seminaria virtutum moralium appellat.⁴⁰ Quodsi cl. auctor benedictinus in ipso appetitu sensitivo quamdam inchoationem virtutum et seminaria earum admitteret, iam minorem forsan difficultatem contra morales infusas haberet. Licet enim earum necessitatem absolutam adhuc negare posset, utilitatem facile admittere posset, uti ex inferius dicendis apparebit.⁴¹

Imprimis textus proponimus quibus appareat quid per « seminaria virtutum » sit intelligendum.

Voluntatem in bonum rationis naturaliter tendere a S. Doctore pluries repetitur, nec dubitandum est eum semina virtutum *principue* in parte animae superiori reponere. Paucos sufficiat recolere textus.

Quidam tum rationem tum voluntatem respiciunt:

« Inferius natum est recipere a superiori; et ideo per operationes egredientes a *ratione naturali et voluntate*, in quibus praexistunt *seminaria virtutum*, acquiritur habitus in irascibili et concupisibili » (*III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 2).

« Sicut principia sunt potiora conclusionibus et virtute ea continetia, ita *seminaria virtutum*, quae sunt in *suprema parte animae*, sunt digniora virtutibus quae sunt in partibus inferioribus et continent eas virtute » (*III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 3; cf. *I-IIae*, q. 63, a. 2).

« Seminaria virtutum quae sunt in nobis, sunt ordinatio *voluntatis et rationis* ad bonum nobis connaturale » (*III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 3).

Alii directe in sola ratione seminaria virtutum reponunt:

« Virtutes morales sunt in ipsa rectitudine *rationis et ordine*, sicut in quodam principio *seminali*. Unde Philos. VII Ethic., cap. V dicit esse quasdam virtutes naturales, quae sunt quasi *semina virtutum moralium* » (*I Sent.*, d. 17, q. 1, a. 3).

Hanc diversitatem facile intelligit qui recordatur ipsam voluntatem esse moraliter bonam tantum in quantum ratione recta mensuratur:

« ...in *ratione* hominis insunt naturaliter quaedam principia naturaliter cognita tam scibilium quam agendorum, quae sunt quaedam *seminalia* intellectualium virtutum et moralium; et in quantum in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni *quod est secundum rationem* » (*I-II*, q. 63, a. 1).

⁴⁰ E p. 144.

⁴¹ M p. 414. Fatemur nosmetipsos ancipes manere quoad valorem argumentorum, quae necessitatem *metaphysicam* virtutum moralium infusarum demonstrare intendunt; ne autem statim exinde concludamus eas esse superfluas.

Unde compendioso modo dici potest *rationem* esse « principium »⁴² aut « radicem »⁴³ omnium virtutum. In voluntate sunt semina virtutum participative, in quantum scil. inclinatur ad ductum rationis sequendum.

Non deest unus aliusve textus qui seminaria virtutum etiam in appetitu *sensitivo* affirmat; textus sequens evidet non caret nobisque viam aperit ad ulteriore investigationem:

« Virtutes praexistunt in *naturali* ordinatione ad bonum virtutis, quae est in *ratione* cognoscente huiusmodi bonum, et etiam in *volutate* naturaliter appetente illud, et etiam quandoque in *inferioribus viribus*, in quantum sunt naturaliter subiectae rationi, et in quibusdam ex ipsa complexione animae est minus de resistentia ad bonum rationis, secundum quod Philosophus dicit quod quidam confessim a nativitate sunt fortes et temperati. Et ideo a Tullio dicitur quod *seminaria virtutum*, sive initia sunt *naturalia* » (*III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 1; cf. *ibid.*, d. 36, a. 1).

Ex eo quod seminaria virtutum cum initio virtutum identificantur, quaerere licet utrum S. Thomas aliquando haec initia magis explicet. Textus proinde examinemus, qui de inchoatione virtutum vel de inclinatione hominis in bonum agunt.

Hominem naturaliter in bonum remanere inclinatum, etsi se quelis peccati originalis sit gravatus, non semel a Doctore Angelico affirmatur. Textibus iam citatis unum addere iuvat, quo optimismus nostri Doctoris illuminatur:

« Illud dicitur esse naturale alicui rei quod convenit sibi secundum conditionem sua formae, per quam in tali natura constituitur... Forma autem per quam homo est homo, est ipsa ratio et intellectus. Unde in illud quod est conveniens sibi secundum rationem et intellectum, *naturaliter* tendit. Bonum autem *cuiuslibet* virtutis est conveniens homini secundum rationem: quia talis bonitas est ex quadam commensuratione actus ad circumstantias et finem, quam ratio facit. Unde quaedam *inclinationes virtutum* sive *aptitudines* praexistunt *naturaliter* in ipsa natura rationali, quae virtutes *naturales* dicuntur, et etiam per exercitium et deliberationem complentur, ut in VI Ethicorum cap. IX dicitur: ideo homo *naturaliter* in bonum tendit » (*II Sent.*, d. 39, q. 2, a. 1).

Ne tamen statim concludas etiam in appetitu *sensitivo* talem inveniri inclinationem ad bonum rationis ex eo quod de *qualibet* virtute sermo fiat. In responsione enim ad 1 et ad 2 eiusdem articuli sola voluntas intenditur. Modus tamen universaliter loquendi ita frequenter saltem in *Summa Theologica* repetitur ut

⁴² *III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 2.

⁴³ *De virt. comm.*, a. 4, ad 3.

existentia inclinationis naturalis in bonum etiam in appetitu sensitivo indubia videatur.⁴⁴

Restat ulterius investigandum quid sub nomine substantivo « inclinationis », quidque sub adiectivo « naturalis » sit intelligendum. Etenim semel saltem S. Thomas inclinationem naturalem ad unam alteramve virtutem dicit esse restringendam:

« Ad ea quae sunt *unius* virtutis, posset esse inclinatio *naturalis*. Sed ad ea quae sunt *omnium* virtutum, non posset esse inclinatio a natura: quia dispositio naturalis quae inclinat ad unam virtutem, inclinat ad contrarium alterius virtutis... Homines autem nati sunt pervenire ad perfectum bonum secundum virtutem; et ideo oportet quod *habeant inclinationem* ad *omnes* actus virtutum: *quod cum non possit esse a natura*, oportet quod sit secundum rationem, in qua existunt semina virtutum » (*De virt. comm.*, a. 8, ad 10).

Ad difficultatem solvendam imprimis recolamus adiectivum « naturale » duplici posse intelligi sensu, ad casum nostrum quod attinet: prout nempe significet id quod convenit alicui vel secundum speciem, vel secundum conditionem individui:

« Aliquid dicitur alicui homini naturale dupliciter: uno modo ex natura speciei, alio modo ex natura individui... Utroque autem modo virtus est homini naturalis secundum quamdam inchoationem. Secundum quidem naturam speciei, in quantum in ratione hominis insunt naturaliter quedam principia naturaliter cognita, tam scibilem quam agendorum, quae sunt quedam seminaria intellectualium virtutum et moralium; et in quantum in voluntate inest quidam naturalis appetitus boni quod est secundum rationem. Secundum vero naturam individui, inquantum ex corporis dispositione aliqui sunt dispositi vel melius vel peius ad quasdam virtutes... Et secundum hoc, unus homo habet naturalem aptitudinem ad scientiam, aliis ad fortitudinem, aliis ad temperantiam. Et his modis tam virtutes intellectuales quam morales, secundum quandam aptitudinis inchoationem, sunt in nobis a natura. Non autem consummatio earum... Sic ergo patet quod virtutes in nobis sunt a natura secundum aptitudinem et inchoationem, non autem secundum perfectionem » (I-II, q. 63, a. 1).

Ex hoc textu suspicari possumus inclinationem ad virtutem non esse eodem modo concipiendam si consideratur prout speciei ac prout individuo tribuitur. Dispositione enim *individuali* aliquis iam est *positive* determinatus ad unam virtutem praे aliam acquirendam, uti satis ex aliis locis eruitur.⁴⁵ Talem inclinationem ad *omnes* virtutes non dari omnino liquet et textus supra citatus affirmat.

⁴⁴ I-II, q. 71, a. 2, ad 1; q. 85, a. 1c; II-II, q. 108, a. 2.

⁴⁵ I-II, q. 51, a. 1; II-II, q. 123, a. 1, ad 3; II-II, q. 141, a. 1, ad 2.

Si autem inclinationem ad virtutem inspicimus prout *speciei* convenit, affirmatur appetitum sensitivum *naturaliter posse* oboedire rationi,⁴⁶ ei esse *subicibilem*,⁴⁷ esse susceptivum virtutis.⁴⁸ Quonam autem sensu haec sint intelligenda non statim appetitum. An in appetitu sensitivo habeatur mera indifferentia relate ad bonum vel malum morale, quae indifferentia influxu rationis auferri potest; vel an habeatur iam inter appetitum et rationem quaedam, licet imperfecta, harmonia et consonantia, quae imperio rationis perficitur?

Non semel dicitur appetitus sensitivus quodammodo a ratione independens, imo motibus ei contrariis praeditus:

« In natura hominis est natura sensitiva, quae tendit in contrarium de se ad id in quod tendit motus naturae intellectivae, scil. delectabile secundum sensum, nisi cogatur et reguletur ab ipsa » (*I Sent.*, d. 17, q. 1, a. 3, ad 4; cf. *De virt. comm.* a. 4 c et ad 8).

Alibi tamen in eodem appetitu affirmatur relate ad rationem quaedam connaturalis oboedientia, quae veram aptitudinem, imo initialem consonantiam supponit:

« Irascibilis autem et concupiscibilis *naturaliter* sunt obaudibiles rationi: unde *naturaliter* sunt susceptivae virtutis, quae in eis perficitur, secundum quod disponuntur ad bonum rationis secundum. Et omnes praedictae *inchoationes* virtutum consequuntur naturam speciei humanae unde et omnibus sunt communes » (*De virt. comm.*, a. 8 c.; cf. *III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 1, supra citatum).

Opposito quae ex textibus citatis oriri potest, solvitur distinguendo in appetitu sensitivo duplitem aspectum, secundum illud:

« Sensibilis appetitus secundum quod in natura sua consideratur, dicitur sensualitas, et sic est perpetuae corruptionis et secundum ipsum non differt homo a brutis, nec potest esse subiectum virtutis; non autem secundum quod est participans aliqualiter ratione, et ideo nihil prohibet sic in eo esse virtutem sicut in proximo subiecto » (*III Sent.*, d. 33, q. 2, a. 4, sol. 2, cf. *ibid.* ad 4).

Notandum est enim hominem esse ex peccato originali fomite infectum⁴⁹ et proinde non versari in statu illo innocentiae in quo appetitus rationi totaliter subiectus fuit;⁵⁰ dantur ergo in eo rebelliones contra rationem, quibus sensualitati brutorum accedit. Non ideo tamen tollitur ex toto illa fundamentalis consonantia, qua « in irascibili et concupiscibili sit *aliquid rationis participative*

⁴⁶ *III Sent.*, d. 33, q. 2, a. 4, sol. 2.

⁴⁷ *De virt. comm.*, a. 8, ad 17.

⁴⁸ *Ibid.*, a. 8 c.

⁴⁹ *I-II*, q. 56, a. 4, ad 2.

⁵⁰ *De virt. comm.*, a. 4, ad 8.

in quantum rationi oboedire possunt »;⁵¹ nam « appetitiva vis in nobis *nata est oboedire rationi* ».⁵² Haec aptitudo naturalis perficitur assuefactio, qua tandem *acquiritur* ipsa virtus stricte dicta, qua scil. appetitus *facile et prompte* rationis imperio oboedit,⁵³ licet non omnes rebelliones ex fomite peccati provenientes impediri possint.⁵⁴ Itaque perficitur participatio initialis rationis et habetur illa sigillatio rationis, qua virtus simpliciter dicta denominatur.⁵⁵ Inter inchoationem et virtutem simpliciter dictam datur relatio potentiae ad actum; quae potentia totaliter ab illa distinguitur, quae a solo Deo in actum educitur:

« Sic igitur in anima est aliquid in potentia, quod natum est reduci in actum ab agente *connaturali*; et hoc modo sunt in potentia in ipsa virtutes acquisitae. Alio modo aliquid est in potentia in anima, quod non est natum educi in actum *nisi per virtutem divinam*; et sic sunt in potentia in anima virtutes infusae » (*De virt. comm.*, a. 10, ad 13).

Dum inchoatio virtutum naturalium de se ad perfectionem tendunt eamque exigunt, proptereaque virtutes secundum naturam dicuntur, virtutes infusae illam exigentiam transcendunt.

Cum R. Bernard concludere liceat: « A leur tour l'irascible et le concupisable sont constitués *dans leur nature pour obéir à la raison*: ces puissances *ont pour rôle* de se mettre au service du spirituel; et c'est pourquoi, si on a soin de *parfaire* en elles *ce bon côté de la nature* en les disposant à suivre le bien montré par la raison, on les trouve *tout naturellement susceptibles de vertus* ».⁵⁶

B) Virtutes morales in ordine supernaturali

Iustificatione homo vitae divinae participat et in Deum quodammodo transformatur secundum totum id quod est huius transformationis capax. Theologi communiter proinde loquuntur de gratia sanctificante, qua natura, et de virtutibus theologicis, quibus intellectus et voluntas secundum modum eorum proprium ad vitam divinam assumuntur. Transformationem ipsius appetitus

⁵¹ *III Sent.*, d. 33, q. 2, a. 4, sol. 2.

⁵² *II Eth.*, lect. 1, n° 249; cf. *De virt. comm.*, a. 9 c. et ad 21.

⁵³ *III Sent.*, d. 33, q. 1, sol. 1; *De virt. comm.* a. 4 c. et ad 2; *II Eth.*, lect. 1, n° 249; I-II, q. 95, a. 1.

⁵⁴ *De virt. comm.*, a. 4, ad 7.

⁵⁵ *De verit.*, q. 24, a. 4, ad 9; cf. *De virt. comm.*, a. 9. Exinde facile patet virtutem moralem minime merae assuefactioni aequiparari posse, sicuti optime probavit S. PINCKAERS, *La vertu est tout autre chose qu'une habitude*, in *Nouvelle revue théologique* 82 (1960), p. 387-403. Non est enim assuefactio relate ad obiectum determinatum nisi *in quantum* hoc substat regulae prudentiae. Prudentia autem potest diversa intimare in diversis circumstantiis atque in diversis personis: *III Sent.*, d. 33, q. 1, a. 2, sol. 1, ad 3: non est idem conveniens omnibus.

⁵⁶ *Somme théologique*, *La vertu*, t. II, Paris, 1935, p. 440.

sensitivi, in ipso momento iustificationis peractam, excludit O. Lottin. Quod a priori mirum videtur, cum appetitus ille sit rationalis per participationem⁵⁷ et tam magni momenti in vita morali. Propterea nobis videtur ab illis qui existentiam negant argumenta omnino convincentia afferenda esse potius quam refutanda argumenta eorum qui necessitatem metaphysicam demonstrare conantur. Nam existentia virtutum moralium infusarum tam intime connectitur cum doctrina de transformatione hominis per gratiam, ut nisi argumenta apodictica in contrarium afferantur, omnino convenienter admittatur. Impraesentiarum non absolutam earum necessitatem at magnam convenientiam utilitatemque ostendere intendimus.

Praenotandum est omnem habitum inclinare ad actum ad modum naturae.⁵⁸ Haec doctrina etiam virtutibus infusis est applicanda. Inter eas eminet caritas:

« Nulla virtus habet tantam *inclinationem* ad suum actum sicut caritas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Unde maxime necesse est quod ad actum caritatis existat in nobis aliqua habituallis forma, superaddita potentiae naturali, *inclinans* ipsam ad caritatis actum, et faciens eam prompte et delectabiliter operari » (II-II, q. 23, a. 2).

Principium generale, quod in eodem articulo statuitur: « Deus qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinantur ad fines sibi praestitos a Deo », etiam appetitui sensitivo applicatur; virtutes enim morales infusae concupiscibilem et irascibilem ad actus fidei et caritati conformes inclinant. Propterea peccator, vitio intemperantiae infectus, sed in actu contritionis se in Deum convertens, validum recipit adiutorium, quo illud vitium removeat; hoc enim vigorem suum amittit:

« In eo qui habuit habitum intemperantiae, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiae infusa habitus intemperantiae *in ratione habitus sed in via corruptionis* » (*De virt. comm.*, a. 10, ad 16).⁵⁹

Comparationem cum ordine naturali iam instituere possumus: sicut appetitus sensitivus naturalem habet consonantiam qua ad sequendum dictamen rationis inclinatur, idem appetitus, virtutibus infusis firmatus in bono, disponitur ut cum docilitate ducum rationis, fide illustratae, recipiat.

⁵⁷ *III Sent.*, d. 33, q. 2, a. 4, sol. 2, ad 2 et 4.

⁵⁸ *De verit.*, q. 24, a. 4, ad 1; I-II, q. 108, a. 1, ad 2; II-II, q. 24, a. 11.

⁵⁹ Cf. V p. 124, 139; *IV Sent.*, d. 14, q. 2, a. 2, ad 4: unde non oportet quod statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, *quamvis impediunt et etiam diminuantur*. Cf. *III*, q. 86, a. 5c.

Licet tamen his virtutibus appetitus ad actum inclinetur, non ideo semper *facile* et *prompte* et *delectabiliter* in actum prorumpit. Quia in re magna apparet differentia a virtutibus acquisitis. Distinctionem autem S. Thomae recolamus:

« Facilitas operandi opera virtutum potest esse ex duobus: scil. ex consuetudine praecedente; et hanc facilitatem non tribuit virtus infusa statim in sui principio; et iterum ex forti inhaesione ad obiectum virtutis; et hanc est invenire in virtute infusa statim in sui principio » (*IV Sent.*, d. 14, q. 2, a. 2, ad 5).

Notandum est adhaesionem ad obiectum non a propriis conatibus humanis dependere, sed ab ipso dono divino animam transformante; unde nec propriis viribus augeri potest. Facilitas autem « ex consuetudine praecedente » paulatim acquiritur, Dei adiuvante gratia.⁶⁰ Nec quis obliviscatur conamina humana in ordine supernaturali alium induere sensum quam in ordine naturali. Dum enim in ordine naturali homo ad hoc tendit ut perfectionem moralem ex sese acquirat, in ordine supernaturali potius impedimenta removet, quibus virtutum infusarum perfecta evolutio prohibetur:

« Quandoque contingit quod aliquis habens habitum patitur difficultatem in operando, et per consequens non sentit delectationem et complacentiam in actu propter aliquod impedimentum extrinsecus superveniens: sicut ille qui habet habitum scientiae, patitur difficultatem in intelligendo propter somnolentiam vel aliquam infirmitatem. Et similiter habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter alias dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas; quae quidem difficultas non ita accedit in virtutibus moralibus acquisitis; quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones » (*I-II*, q. 65, a. 3, ad 2).

Virtutes proinde infusae propriam habent indolem psychologicam, qua, si cum ordine naturali comparantur, mediae inveniuntur inter inchoationes virtutum et virtutes acquisitas, aliquid habentes commune tam cum his quam cum illis. Cum virtutibus acquisitis convenient in quantum non sunt facile mobiles et ad actum inclinant, differunt tamen in eo quod simul cum dispositionibus contrariis stare possunt et ideo actum proprium non facile eliciunt, dispositionibus illis manentibus. Hac ratione ad inchoationes virtutum in ordine naturali accedunt et actibus repetitis perfici debent; differunt tamen propter determinationem obiecti in quod tendunt, et firmitatem inclinationis quam potentiae pra-

⁶⁰ De ipsa caritate agens aliquando manifeste supponit actum eius non esse semper aequa facilem; ex. gr. in dilectione inimicorum; cf. *II-II*, q. 27, a. 7.

bent. Facilitas proinde « ex consuetudine praecedente » realiter *acquiritur*. Itaque sub hoc respectu cum O. Lottin consentiendum: « Il faudrait donc conclure que c'est par l'action des vertus théologales que s'acquièrent en nous les vertus morales dites infuses »;⁶¹ actus enim supernaturales, uti iam diximus, virtute fidei regulantur et caritate ordinantur. Nec quoad rem dissentit G. Bulle: « l'exercice de la vertu infuse entraîne, dans la puissance naturelle, une certaine soumission habituelle à la raison ».⁶² Secundum utrumque auctorem facilitas actuum moralium tandem praecipue sub influxu virtutum theologicarum generatur.

Si autem virtutes morales consideramus prout appetitum sensitivum reddunt adhaesivum obiecto et proinde initialiter aptum sequendi ductum fidei et caritatis, eas non dicimus acquisitas, sed immediate a Deo infusas:

« Virtutes theologicae sufficienter nos ordinant in finem supernaturalem, secundum quamdam inchoationem, quantum scilicet ad ipsum Deum immediate. Sed oportet quod per *alias* virtutes *infusas* perficiatur anima circa alias res, in ordine tamen ad Deum » (I-II, q. 63, a. 3, ad 2).

O Lottin putat S. Thomam, dum ex una parte virtutes infusas morales affirmat secundum traditionem tunc acceptam, ex alia parte tamen praebere argumenta quibus insistens infusio logice negari debet;⁶³ cum enim S. Doctor arguit virtutes theologicas esse *seminaria* virtutum moralium conclusio patet has sub earum influxu acquiri. Contradiccio inter argumenta prolata et affirmacionem existentiae virtutum infusarum nobis videtur neganda. Ostendimus in ordine naturali *seminaria* virtutum etiam in appetitu sensitivo inveniri; nec quoad rem dissentit O. Lottin, licet *terminum* potentissimis intellectivis reservet: « Quant à l'appétit sensitif on trouve du moins en lui une docilité à recevoir l'emprise de la raison ».⁶⁴ Quodsi haec admittuntur iam nullam videmus difficultatem affirmandi *initialem* docilitatem a Deo appetiti sensitivo *infusam* ut ductum virtutum theologicarum sequatur et actibus repetitis perfectam earum sigillationem recipiat.

⁶¹ E p. 147. Quaedam tamen dissentio adhuc remanet: licet virtutes theologicae habeant influxum *praecipuum*, a virtutibus moralibus infusis multum adiuvantur ut actus virtuosos efficaciter imperare possint; itaque sub influxu virtutis infusae tum theologicae tum moralis, facilitas tandem acquiritur.

⁶² V p. 144; omnis actus virtutis moralis infusae a caritate imperatur et lumine fidei dirigitur: V p. 154, 156, 160.

⁶³ E p. 148. Species contradictionis, qua virtutes morales infusae videntur sub influxu theologicarum acquiri, solvitur distinctione duplicitis facilitatis quam cum S. Thoma indicavimus; cf. etiam notam 61.

⁶⁴ E p. 145.

Ex ipsa sua doctrina, quam relate ad ordinem naturalem tenet O. Lottin logice ad admissionem virtutum moralium infusarum, recte intellectarum, concludere debuisset. Quamdam contradictionem proinde non apud S. Thomam, sed apud eminentem eius commentatorem invenimus. Verum est virtutes morales non absolute esse necessarias, uti concessimus; eas autem perfecte convenire homini elevato non est negandum. Admirabilem transformationem supernaturalem illustrant atque voluntatem divinam manifestant, quae *omnibus* potentis actuum moralium capacibus inde ab initio habitum infundit, quo ad actus fini supernaturali proportionatos inclinantur.

FR. AMATUS DE SUTTER, O. C. D.